

Sammelband

49

[Faint, illegible handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page.]



PRORECTORIS
ACADEMIAE IULIAE

Ioannis Caselii.

Ad *φιδιτων*, siue mensæ communis con-
uictores.

M. Christiano Marboestilio
ΠΡΟΓΡΑΜΜΑ.

σωκρον' α' Ω,



HELMAESTADII
MENSE APRILI.

CIO. 13. XCIII.






Σὺν θεῷ δ' εἰρήσεται.

Alas ingenio donat fortuna benignè,
Ni te luxuriæ dedas malè sanus inertì,
Perniciem in propriam verso tam turpiter auro :
Illa sed inclemens si te pernice volatu
Prætereat, quosuis quæ stultè censet eodem
Ordine, ne te exspes infracta deijce mente
Propterea : fulcire animum ratione serena
Ne dubita : ratio sophien & commoda vitæ
Conciliat, certo sapiens quæ terminet vsu.
Quî ratio ? Caue, ne te stulta & sæua pathôn vis
Imperio vexet: sed mens vigil imperet illis :
Cum primis cole Sophrosynen, omnemq; modestè
Vitam age. Quis talem & tantam non diligat vltro?
Atq; ea disce puer, claro præeunte magistro,
Os quibus, & mores polias, & pectus amicum,
Principio ipse tuum. Qua rara præditus arte
Quando eris, haud deerit, qui te quoq; largius ornet,
In patribus princeps, in tempore prodigus æris,
Cumq; suis iubeat felicem viuere natis.
E cælo dictum ratus, hoc sequere, in tenui re
Quisquis es, optatum tibi amicæ filum Ariadnes.

Ioannes Caselius.

PRORECTOR ACADE-
MIAE IULIAE
IOAN. CASELIUS,

ΦΙΛΙΤΙΩΝ, SIVE MENSÆ COMMVNIS
conuictoribus S. D.

 Vantopere studijs rebusq; vestris con-
sultum cupiam, nec vos, opinor, fu-
git: & ex quo tempore hoc munus gef-
si, magis aduerteritis. Indicio fuerit,
quòd statim meam de vobis curam
exposui: nec interea, quibus seruire potu-
etim, ope & consilio defui: etiam dispexi sedulo, quem-
admodum aliquid commodi pluribus conci-
liarem: id etsi repentè fieri non potuit, tamen fu-
turum ex interuallo non dubito: cum id ij in se
receperint, qui & possunt vos ornare, nec mi-
nus volunt, quàm ego. Multa serius pullulare
videmus, quæ eadem proueniunt copiosius.
Et accepistis de nescio quibus cæli iantricibus,
quas poëtæ Horas nominant, vt tardæ esse per-
hibeantur, & tamen beneficijs suos cultores cu-
mulent, vtest in rustico carmine:

*Βάρδιται μακάρων ὦραι φίλαι ἀλλὰ ποθὲν αἰ
ἔρχονται αἰεὶ τι φοροῦνται.*

A 2

Idigi-

Id igitur negotium, quoniam minimè pro dere-
lictò, sed in certa spe habeo, neq; ipse porro re-
linquam, & viros egregiè erga vos animatos,
& auctoritate præstantes deinceps monebo,
quod & ipsi faciliè ferunt, si quis faciat tempori.
Ad propiora venio, quæq; in oculis sunt, de qui-
bus locupletius testimonium, quàm à vobismet
ipsis petere, nec possum, nec opus est. Cupidè
namq; subueni, quorum tenuitati potui: quod vt
cum caussa facerem, non nihil in adolescentio-
rum studia inquisui: adultiores sibi reliqui. Si-
ue enim hi ipsi sapiunt, siue minus cupiunt corri-
gi. Nec alijs perrexi molestus esse, quibus insti-
tutum meum graue animaduenterem. Sic enim
sentio, vt plurimum nec inuitum amicum fieri,
neq; cuiquam ingratijs beneficium dari. In ea
cura siue curiositate vidi & ingenia & diligentiam
plurimum, sed in paucis profectum responden-
tem ingenijs & diligentia. Ea est magistrorum
culpa potissimum, qui in quibus ipsi parum vale-
rent, de ijs alumnos suos docere non potuerint.
Sed magistros reprehendere, siue potius informa-
re, alterius loci est: si qui egeant consilio nostro,
aut bono consilio vti velint. Video ex adole-
scen-

scantibus, quæ benè cæpissent pueri, repudiasse
postea, atq; ita laborum puerilium fructus pro-
fudisse. Alios igitur in viam reuocare conatus
fui, alijs rectam viam quasi digito monstraui:
imprimis iussi, ingeniosos magis Latinum ser-
monem excolere, & Romanos scriptores quoti-
diè diligenter legere: quod si & Græcum attigif-
sent, id studium, tam nobile, quàm rarum, perse-
qui. Nec enim solum hac ratione vos à barbaricæ
linguæ vindicetis, vt vobis dignum est, sed etiam
ab altera & maiore, barbarie animi videlicet, &
vitæ, & morum. Hoc enim fieri necesse est, mo-
do quis, & ea, quæ legit, cōsideret, & aliquem fru-
ctum ex instituto labore capere studeat. Ludat
enim operam, & qui certum bonumq; finem si-
bi non proposuerit, & qui iter ad finem ingressus
non sit: à quo etiam facile aberrabit, qui ducem
idoneum nactus non fuerit. Omnino enim o-
pus est magistro, qui quæ, quo ordine, quoq;
modo legas, poëtas, oratores, historicos, & si
quid est φιλολόγων, tironi ostendat. Namq; de
mathematis, & studijs sapientiæ, siue scientijs,
& de cæteris disciplinis, quæ in vita ciuili neces-
sariæ sunt, non loquor. Est enim extra omnem

controuersiam, doctore in illis perdiscendis opus
esse, qui singula euoluat, & ad auditoris captum
illustret. De quibus dixi, præmittenda neq; ne-
gligenda censeo, nec alijs, qui docti politiꝫ esse,
quàm videri malunt, nec vobis, quos in isto lau-
dabili spacio fortuna minus respexit, vel vestri
= etiam deserunt: quod & ipsum sæpè vidi fieri, si-
= ue fato litterarum, siue inscitia hominum. Ve-
rum ista tenuitas, aut vos animis diicit, aut in
peruersam rationem agit. Sunt enim huius ge-
neris vestræ querelæ, quas audiui sæpius: quòd
in sumptum non fatis sit, igitur relinquenda esse
humanitatis studia, quæ videlicet ἔδειν πρὸς τὰ ἄλφιστα
vt est in verbo veteri: animum ad alia adijcien-
dum, è quibus emolumentum quoq; quamprimùm
quamplurimum ad quemq; redeat. Non semper
magni animi est, sed sæpè inanis ingenij, ad sum-
ma statim contendere: stultitiæ vero etiam fasti-
gium conscendere sine gradibus. Nec iubeo ta-
men vos nihil nisi humilia & plebeia cogitare:
etsi plærosq; à molitione sublimium deterreo.
Nec enim omnibꝫ debentur primi honores, nec
verò tribuuntur, nisi qui, generis & opum, & in-
terdum potentiæ commendationem cum reli-
quis

quis attulerit. Rarum hoc, & haud scio, an op-
tandum, quoniam nunquam fit absq; acri in-
uidia, vt aliquis tenuium legatur in principes
ciuitatis: nec rectè vnquam fit, nisi ille eximia
virtute, & doctrina singulari, & magno vsu re-
rum, instructus existimetur, & vix tuto tamen
fieri videmus. Aut igitur petite in hoc cursu
consilium à sapientibus, aut huiusmodi vobis
rationem putate incundam. Quisq; ingenij sui
vires consulat, quod si non nisi mediocre est,
credat hanc sibi à natura legem latam, vt non
nisi mediocria sectetur. Nam quos natura pror-
sus neglexit, aliò animum conuertant, & operas,
quibus ab ipsa destinati intelliguntur, obeuntes
alijs seruiant. Quos verò à fortuna neglectos,
natura ingenio beavit, nec ipsi hoc solo freti, eas
artes feliciter aggredi poterunt, quibus dirigun-
tur negotia mortalium, & administratur ciuitas:
nec ipsi solum, sed & fortunatiores, quibuscum
mihi nunc nihil negotij est, meditati, quemad-
modum vobis consulam: ac fortè vestrum vni
alteriq; profuero. Adfertis huc quædam doctri-
næ initia, saltem, quæ adolescentulos tenere o-
portet, nisi velint ante vestibulum musarum sub-
sistere.

• • sistere. Qui igitur primùm in scholas hasce regias
• • veniūt, à pueris se exire cogitent: mores pueriles
• • & incultos magno studio exuāt: æmulētur æqua-
• • les, si quos elegantia & modestia studere senti-
• • ant: ante omnia sobriè vitam instituant, auer-
• • sentur & fugiant ebriosos & petulantes: nec eru-
• • bescant honestis obsequijs eos sibi deuincire, à
• • quibus aliquid commodi sperant. Qui sic non
fit, nec esse talis laboret, ad eum neq; hæc, neq;
sequens oratio pertinet. Nec ipsi enim aditus pa-
tebit, neq; ad virtutem maiorem, cuius illa quæ-
dam lineamenta sunt, neq; ad felicitatem. Sed
quæritis de litteris, quas cuiq; vestrum colendas
existimem: quod antè quærendum non fuit,
quàm indicatum, quod prius dixi: nec ipsa ante
• • modestiam colendæ, sed vnâ cum ipsa. Mode-
• • stia vero non solum vobis bonorum animos
• • conciliabitis, sed etiam vestros serenabitis, &
• • spe bona illustrabitis, iacentes simul fundamen-
• • ta prudentia. Præeunte & prælucente modestia,
• • accedite propius ad litteras, nec saltu per musa-
• • rum tempe facto, aliò currite: id quomodo ex re
vestra esse censeam, sic accipite. Qui repentè ad
• • eas artes transiliunt, quibus ad res gerendas infor-
mamur;

mamur; aut paulo post ope necessaria destituti
in cæpto spacio subsistunt, aut etiam non satis
subactis animis frustra ad metam properant. Lit-
teræ autem, id est, & bonorum scriptorum le-
ctio, & bonarum artium rudimenta, non solum
vos, si quis doctos & audire malit, quam cæcos
duces sequi, ad capiendas cæteras disciplinas
præparabunt, sed etiam in cæteris fructibus, quos
prætereo, vos perficient, vt fortunatorum libe-
ros ipsi probi & eruditi informare ad virtutem
& litteras valeatis. In quo enim hæc facultas e-
ximia, non difficillima omninò comparatu; hic
posse quodam modo fortunæ suæ faber esse vi-
deatur. Habebit enim, quasi artem aliquam de
pluribus benè merendi: quod nunquam est abq;
emolumento, & fructum fert vberem satis ei,
qui necessarijs contentus esse possit. Quod si in-
notescat fortunatioribus, iisdemq; bonis viris
(nec verò virtus, nec sapientia, nec ipsarum acre
studium, diu latere potest) vnde non speres, se
ostendunt *εὐεργέται*, qui vel vltro iuuent tam nobi-
les adolescentiæ conatus, vel tuam operam & in-
dustriam ex se natis expetant, sumptum in te non
minus, atq; in illos facturi liberaliter. Primum

A 5

enim,

enim, omnes liberos amant, & eorum educa-
tioni cum primis consultum volunt: præterea ve-
rò neq; nulli sunt, qui hoc negotium intelligant,
& si qui non satis intelligunt, & me, & alios si
qui in medium rectè consulant, audiunt. Nec
omnes ita amant aurum, vt non magis liberos
ament, & eorum salutem libenter quamuis gra-
ui sumptu procurent. Id in tuum commodum
cedit, tum vt non egeas, tum vt tempore quasiq;
per gradus altius adscendas, quàm speraueris, aut
æquales tui, quibus ad hanc rem fortuna nihil
negasset, potuerint. Hæc vero, qui vestrùm at-
tentius legerit; duo fortè desideret: primum, vt
de modestia plenius doceam, & quemadmo-
dum eius veram laudem sibi comparet: alterum
vt item de litteris humanioribus, simulq; ordi-
nem ostendam, siue rationem, quam seruet stu-
diosus adolescens. Hoc sanè loco vtrumq;, non
secus, quàm strictim attingere potui, alibi eadem
tractaturus & illustraturus, vbi nanciscar paul-
lum otij. Namq;, vt initiò dixi, mirificè vobis
prodesse cupio. Consilio deinceps etiam pote-
ro, præsertim, si qui id sibi non ingratum osten-
dent, aut verbo requirent. Interea dum hoc mu-
nus

nus gero, re ipsa iuuo paucos eo beneficio, quod plures flagitant: ab illis mihi relatam gratiam putabo, si accepto commodo rectè vtentur: alij succensere mihi nolent, cum de meo erga se studio nemo dubitet: in quo tum demum aliquam molestiam sentio, cum non efficio, quod laboro, & quod expectatur. Cæteros etiam suo loco seruare studui, & manere cupio, & hortor, vt non facilè, nec ad leuem famam, aliò properent. Quod eius ætatis est proprium, vt noua semper expetat, & quæ obtigerint, repentiè fastidiat, talium adolescentum similes vos esse non decet, qui litteras colitis, ne eas frustra coluisse videamini. Sine fructu autem hoc faciunt, qui cum vulgo plebeias falsasq; opiniones amplectuntur, nec inuestigandis veris & salubribus sententijs incumbunt. Nec dubitate, quin, & scientia, & diligentia, & egregia in vos voluntate academiæ IULIAE doctores, aliarum, vt ne quid arroganter dicam aut inuidiosè, doctores facilè æquent. Etenim in interpretatione disciplinarum, id sedulo cauemus, ne aut falsa præcepta nouatorum tradere, aut semidoctorum commentarios compilare, aut lacunas quasq; sectari



videamur: sed quisq; nostrum ex ipsis fontibus,
quæ vera sint, luculento genere orationis, neq;
negligenter explicamus. Id qui conarentur, in
ijs nomen meum, & semper, quod ipsi testabi-
mini, verè professus fui, nec profiteri, dum viuam,
dum valebo, desinam. Ex multis, de quibus vos
monerem, hæc modo mihi persequi visum fu-
it: quæ si vobis grata esse intelligam; (erunt au-
tem, si diligenter lectis, & meditatis apud ani-
mum vti cæperitis) horum similia, quibus & co-
natus vestri prouehantur, & commodis vestris
seruiatur, de promam plura propediem.

Valete. Helmstadij in academia Iu-
lia. Idid. April. cio. 10.

XCIII.

F I N I S.







HB. 153147

Sb.

UD74







56.

PRORECTORIS
ACADEMIAE IVLIAE

Ioannis Caselii.

Ad φιδιτων, siue mensæ communis con-
uictores.

M. Christiano Marboestilio
ΠΡΟΓΡΑΜΜΑ.

σωμασθησις



HELMAESTADII
MENSE APRILI.

CIC. 13. XCIII.

57

